

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Cur aliquis sibi, & quando possit, vel non possit, mortem ex amore desiderare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

derunt ; sed uno eodemq; die , hoc est , Kalendarum Aprilium tertia decima egredientes è corpore spiritus eorum , mox beata inuicem visione coniuncti sunt , atq; Angelico ministerio pariter ad regnum caeleste translati . Sed Heribertus diutina prius infirmitate decoquitur ; illà , ut credibile est , dispensatione Dominica pietatis , ut si quid minus haberet meriti à Cudberto , suppleret hoc castigans longa agritudinis dolor ; quatensis equatus gratia suo intercessori , sicut uno eodemq; tempore cum eo de corpore egredi , ita etiam una atq; indissimili sede perpetua beatitudinis meruit recipi . Habemus ergo & causam , cur multos fæpe innocentes , immo etiam Religiosos viros Deus finat diutinis morbis afflctari , scilicet ad maiorem , in cælo , coronam promerendam ; & insuper , Deum exaudire sanctos pro se inuicem orantes , non vñ illis vita ista mortalís prolongetur ; sed vt , post vnius mortem , mors alterius , in hac lachrymarum valle , non differatur ; atque , vt , qui vnà Deo , in omni vitæ austeritate seruierunt , etiam vnà Deo , in æterna beatitudine perfrauantur .

II.

Psi 119. 15. Et cur hoc alij impetrare conantes , peccent , cum sic alios diligant , sicut semetiplos ? Nam qui charitate Dei ac sui ardentes , saepe exclamat : *He mihi , quia incolatus meus prolongatus est ?* præsertim quia eos tot corporis & animæ mala , in hac peregrinatione , ad patriam faciunt calidissimè suspirare . Quis enim exul ad patriam non aspiraret ? Et prudens peregrinus , (nisi proximi salus aliud exigat) cum Apostolo , magis cupit à corpore , quam à Domino peregrinari . Quis non mallet cum Angelis , & societate beatorum habitare , quam cum habitantibus Cedar , hoc est , cum barbaris ac efferatis gentibus , quæ non habitant in ciuitatibus , sed in tentorijs , ijsque nigris & rusticis , quales sunt Arabes ? per quos ipsi etiam cacodæmones , Principes tenebrarum harum diaboli , ac homines , ipsis diabolis peiores intelliguntur . Ne autem aulici hinc se excipient , qui in clarissimis vrbibus habitant , nōrint ipsa etiam palatia Principum ac Regum Cedar , hoc est , tabernacula esse rusticorum , stād cælestis Hierusalem mansiones comparentur . Hinc sanctorum voces sunt : *Multum incola fuit anima mea . Mihi vivere Christus est , & mori lucrum . Coarctor desiderium habens dissolui & esse cum Christo . Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huīus ?* Ita orare cum ex charitate quis pro semetipso possit , cur non possit etiam pro alio ? præsertim cupiente , & vitam beatam miseræ vitæ præferente ? Nam multi adeò diligunt hanc misericordiam pe-

Philip. 1. 21. *Multum incola fuit anima mea . Mihi vivere Christus est , & mori lucrum . Coarctor desiderium habens dissolui & esse cum Christo . Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huīus ?*

Rom. 7. 24. *Ita orare cum ex charitate quis pro semetipso possit , cur non possit etiam pro alio ? præsertim cupiente , & vitam beatam miseræ vitæ præferente ? Nam multi adeò diligunt hanc misericordiam pe-*

ram peregrinationem, & tabernacula Cedar tenebricosa, ut nihil tristius audire possint, quam sermonem de discessu ex hac vita... Tales non cupiunt pro se orari, ut de corpore mortis huius liberentur. Quanquam & qui pro se, & qui pro alijs orant, ut citò possint esse cum Christo, illam utique orationi suae conditionem includunt, quam inclusit S. Martinus orans: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; quam etiam Apostolus non dissimulauit, scribens: Coarctor autem e duobus: desiderium habens,* Philip. 1. 23.

velut à portu, aut à tabernaculorum funibus, aut vinculis, aut à corpore mortis, seu cadauere, cui alligata est anima mea, dissolui, & esse cum Christo, quod est, multò magis melius, seu optimum (hoc enim Hebraismus significat) permanere autem in carne, necessarium propter vos. Sienim Deus vult nos viuere, propter institutionem proximi, tanti facienda est charitas, ut etiam beatæ eiusmodi morti, immo ipsi quoque martyrio, ut D. Chrysostomus docet, sit anteferenda. Hæc proximi necessitas si desit, rectè ille à D. Augustino laudatus Episcopus moriturus circumstantibus atq; eum retinere volentibus dixit: *Si aliquando, cur non modo? Rectè etiam Climachus: Probatu ille est, qui mortem singulis diebus expectat; sed ille sanctus, qui eam singulis horis desiderat.* Desiderabat Romana virgo Praxedes, *qua cum tantā Christianorū stragem iam ferre non posset; Deum precata est, ut, si mori expediret, se è tanti malis eriperet.* Desiderauerunt idem alij innumeri. Quod ergo sibi non solùm fas est optare, sed etiam ex charitate desideratur, cur non posset etiam frater charissimo fratri, soror sorori, vxori maritus, vel marito vxor, aut alius amicus amico dilectissimo & desiderare, & precari? cum hoc sit, illi precari, pro terra cælum, pro miseria felicitatem.

Neque opinandum est, id alterum nolle, si Deum atque aeterna serìa amet; cum etiam ingratum fuerit ijs, qui iam defuncti erant, ad vitam reuocari. Narrat Ruffinus Mutium miræ sanctitatis Abbatem, ut ad discipulum moriturum longè absentem posset peruenire, solem, instar Iosue, stitisse; *cumq; inuenisset eū iam defunctum, oratione facta, oscularus est eum, & ait: Quid magis desideri habes frater, abire & esse cum Christo, an permanere in carne?* Tunc ille, recuperato spiritu, paululum resedit, & ait ad eum: *Quid me reuocas Pater? Melius est mihi redire, & esse cum Christo; permanere autem in carne mihi necessarium non est.* Cui dixit: *Dormi ergo in pace, fili, & oraprome.* At ille continuo reclinans se in lectulo ob-

Bbb 3 dormi-

S. Chrysost.
homil. 78. in
Matth.

Possidon. in
vita S. Au-
gustini. c. 27.

Climach.
grad. 6.
In Breu.ario
Rom. 21. Iu-
lij.

III.

Ruffinus in
Vitis Patr.
lib. 2. c. 9.